

preclarissima virtutum potest esse maior humilitate ordinatiue et obsequiue. Ordinatur enim et percipit omnes actus virtutum / h fundamentiue et pfluatiue humilitatis excedit iusticiam et omnes alias.

Questio nonagesima sexta. quomodo apostolorum perfectio obseruata est in virginibus

Uterius condeiscendum est quomodo apostolorum perfectio obseruata est in virginibus. Circa quod queruntur quatuor. Primo utrum uirginitas sine uoto seruata posuerit uirgines in perfectionis statu. Secundo utrum uirginitas uoto promissa fuerit apud deum maioris meriti in uirginibus quam sine uoto. Tercio utrum uirgini corruptore uolente eam corrumpere uolente liceat interficere. Quarto utrum uirgines que fuerunt uolenter corrupte a barbaris perdidissent aureolam.

Ad primum sic procedit uidetur enim quod uirginitas sine uoto seruata posuerit uirgines in perfectionis statu. Quia quod opus est perfectionis et supererogationis ponit in perfectionis statu. Sed uirginitas est opus supererogationis et perfectionis. sicut per 1. chor. vij. et math. xix. **N**onnullus dicit dicens quod uirginitas sine uoto seruata non proficitur matrimonij statui. uirgines ergo sine uoto sunt in perfectionis statu quam coniugati. **P**apae dicit 1. chor. vij. quod qui uirginem tradit nuptui bene facit. qui uero seruat eam uolente continere melius facit. ergo absque omni uoto uirginitas est melior coniugali copula / et sic pertinet ad perfectionis statum. **I**n contrarium est quia uirgo sine uoto uirginitatis emissio potest nutrire / uoto uero obligata non solum nutrire sed uelle nutrire est sibi dampnabile ut dicit ihero. ergo pro uirginitate sine uoto non fit perpetua separatio a communi statu coniugatorum. **R**espondendum quod status perfectionis duo importat. Primo mutationem ratione status. non enim est transitus de uno statu ad alium sine aliqua mutatione. Secundo supererogationem ratione perfectionis. non enim quodlibet opus est perfectum uel ponit hominem in perfectionis uia / sed solum quod est consilij et supererogationis. Mutatio ergo status de libertate ad seruitutem non fit sine uoto. quia si uirgo uel uidua uouet continentiam seruare priuat se libertate ducendi uirum. Si autem absque uoto continentiam seruare tali libertate non priuant. **N**on modo accipiendum statum ut est conditio importans mutationem de seruitute ad libertatem uel e contrario solum facit uoti promissio. uel priuata quantum ad deum uel solemnizata quantum ad ecclesiam. Solemnizatur autem uotum per habitationem uel subscriptionem et testium aduocationem. **U**nde scribitur xx. q. 1. professionem uirginitatis uel uirginitatis faciant et habitum religionis sumant que castitatem seruare proponunt. perfectio uero acquiritur per consilij et supererogationis opus. **U**nde dicendum est quod uirginitas sine uoto seruata non ponit uirgines in perfectionis statu / sed in perfectionis opere. **A**d primum ergo est dicendum quod uirginitas opus consilij et supererogationis